C APPENDIX.

Prima ſpina in ſanandis ulceribus & fiſtulis diuturnis efficaciſsima eſt. Altera quam Cardum benedictum uocãt, obſtructiones internorũ uiſcerum tollit, urinã mouet, calculum frangit, ulcera, potiſsimũ pulmonis, ſanat. Percuſsis à feris uenenatis medetur. Negant etiã peſtis experiri contagia, qui aut cum cibo, uel potu præſumpſerit. Iam quoq; correptis magno fore remedio ſibi uulgus perſuaſit. Ex quibus etiam omnibus ſit perſpicuũ, eaſdem quas ueteres Atractyli tribuerũt, utranq; ſpinam habere facultates. Item herbam quam Cardum benedictum uocant, contra ſerpentum & ſcorpionũ morſus ualere omnibus in confeſſo eſt: quam ſanè facultatem cum Atractyli etiam aſsignet Dioſcorides, cõſequitur ab eadem diuerſam nõ eſſe. Recentiores Cardum benedictum cõtra capitis uehementiſsimos dolores, uertiginem, memoriam amiſſam, in cibo aut potu ſumptum ualere tradunt. Item ad putreſcentia ulcera, mammarum potiſsimũ, ſi in puluerem redactus inſpergatur.

DE ANGELICA▸ CAP▸ XLIII▸

NOMINA.

Angelica nõ eſt Smyrnion, neq; Silphion.

NVNQVID ueteribus cognita fuerit hæc herba, & quo nomine appellata ſit, nondũ ſcire licuit. Neq; enim Smyrnion eſt, quod ſcilicet umbellam Anethi & ſemen rotundum, aliaq; multa quæ deſcriptio requirit, nõ habeat. Silphion etiam eſſe haud poterit, quod folia Apij habere minimè deprehendatur. Recentiores autem uno ore omnes Angelicam, & Sancti ſpiritus radicem, à ſuauiſsimo eius radicis odore, quem ſpirat: aut ab immenſa contra uenena facultate, appellant. Germanis Angelick/oder des Heiligen geyſts wurtz/oder Bruſtwurtz uocatur.

Sancti ſpiritus radix cur dicta.

D

GENERA.

Hortenſis. *Syluestris.*

Duo eius herbæ inueniuntur genera. Vna enim mitior eſt, cuius quidem radix ualde odorata, à Germanis zam Angelick nominatur. Altera ſyluestris, eius radix ſuaui odore reſtituitur, & à Germanis wilde Angelick nominatur.

FORMA.

Caulem profert duũm cubitorum, cõcauum: folia oblonga, per ambitum ſerrata, ſubnigra: flores in purpura candidos, ſemen latum, foliaceum: radicem craſſam & multam, foris nigricantem, intus candidam.

LOCVS.

Mitior in hortis plantata prouenit, & in montoſis etiam nonnullis locis, perinde atque ſyluestris.

TEMPVS.

Iulio & Auguſto menſibus floret.

TEMPERAMENTVM.

Calefacientem & deſiccatoriam uim in tertio ordine ei aſsignant herbarij recentiores.

VIRES.

Aperit, extenuat, diſcutit, ut recentiores perhibent. Vnicè uenenis aduerſatur. Peſtilentiæ populatim ſæuientis arcet cõtagia. Corpora à lue peſtifera uindicat, ſi tantũ, ut affirmãt, in ore teneatur. Per hyemem ciceris magnitudinẽ cum uino, per æſtatẽ ex ſtillatitio roſarũ liquore ſumpſiſſe ſatis eſt. Nec ſenſurũ eo die contagionẽ pollicent, quo quis deuorarit: nam urina & ſudore uenenũ abigit. Lentitiã pituitæ digerit, quapropter tuſsi, quam frigus attulerit, medet. Craſſa quę in thorace coierint, diſcutit. Herba ipſa in uino & aqua cocta uulnera interna glutinat. Cõcretum ſanguinẽ reſoluit, ſtomachũ eſu corroborat. Cor recreat. Pituitã uentriculi deijcit, faſtidia

LOLIVM